

*Ioannes DANTISCUS to Sigismund I Jagiellon
Granada, 1526-10-12
IDL 305*

Quando ante duos annos cum domino doctore Borgio simul eramus in Madrillis, habuimus quoddam amplum hospitium, ut ipse coram referet. In eo erat hospes ex genere Iudaeorum, seu, ut vocant, Marranorum, et hic erat quondam reconciliatus inquisitoribus errorem confessus et pecunia absolutus, habuitque quattuor filias innuptas. Cum una de illis confessor caesaris, episcopus Ossimensis, ordinis Praedicatorum, solebat habere commercium, quod diu mihi fuit incognitum, et ille habuit hospitium in domo quintae sororis, quae erat maritata, unde liberae istae sorores convenire solebant. Post abitionem domini doctoris Borgii insinuavit se mihi alius eiusdem ordinis caesaris contionator, quorum non sunt pauci, frater Michael. Is, ut solent monachi, familiaritatem mecum inire ambiebat, crebriusque veniebat praetextu quodam amicitiae cum hospite domus habitae, sub quo unam de his puellis invisere solebat, me adhuc istarum rerum inscio, cum nihil tale suspicarer. Cumque camera quaedam a filio hospitis ante habitata e regione culinae meae esset vacua, convenit me cum hoc fraterculo hospes rogabatque, ut annuerem, quod idem frater in illa morari posset. Id cum etiam monachus iste a me precibus exigeret, ut alias, ubi alicui commodare possum satis sum facilis, non gravate impetravit, omnemque illi benevolentiam, ut religioso convenit, exhibui.

Succedente tandem tempore, cum puer meus ex innata malitia curiosior, ad puellas istas obiter aliquando introivisset, et quemdam ibidem alium fratrem Vincentium eiusdem ordinis, abiecto habitu cum proveciore de illis lusitantem offendisset, coepta fuit alia haberi opinio, visaeque sunt saepius duae de istis puellis domum, in qua confessor caesaris agebat, frequentare, illacque in noctis crepusculo devertere et redire diluculo, interdum etiam ibidem per triduum et totidem noctes subsistere, et quando domi agebant a pueris ipsius confessoris perpetuo conveniri, modo aliquid ferebant in lancibus, modo lances referebant, ut in his rebus fieri solet, erantque multa alia certiora signa, quae iusta suspicione carere non poterant, licet quaedam inter eos consanguinitas fore diceretur.

Quo factum est, quod forsitan aliquis de meis, ea, quae videbantur, reticere non potuit, et quod sic iam haec res in fabulam vulgo proferebatur. Quod aegre ferentes fraterculi, qui sub ista summa hypocrisi, qua hic vivitur, aliis longe sanctiores reputari volunt, ut se ulciscerentur,

moliri coeperunt, neque alios modos, quam ut inquisitoribus me cum meis pro Luteranis deferrent, invenerunt. Qua de re hospitem ipsum et quendam nebulonem Biscainum, qui mihi pro cursore servierat, a me dimissum, in testes vocarunt et clandestinos processus fecerunt. Sed tamen nihil efficere poterant ante viceregis adventum. Cum ille ex Italia appulisset, et bonus iste confessor animadvertisset eum mihi et negotiis Maiestatis Vestrae Serenissimae pessime affectum, cum illo se iunxit, et postquam iam quilibet eorum seorsum contra me caesarem concitare niteretur, inquisitores cum ficto hoc processu induxerunt, et longam contra me et meos calumniam proposuerunt. Caesar vero pro rei veritate et sua benignitate me excusavit, quemadmodum mihi postea ipsemet rettulit, duos tamen de famulis meis, quos ex Germania, Luteranismo infecta, natos esse confinxerant, capi permisit.